



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Ieremiæ Prophetæ Threni Carmine redditi

Latomus, Jacobus

Antverpiae, 1587

Ex Libr. Iob, Cap. I. Nudus egressus sum, &c.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-69084](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-69084)

EX LIBR. IOB, CAP. I.

Nudus egressus sum, &c.

EX vtero genitrix me nudum fudit in auras,
 Et repetam nudo corpore rursus humum.
 Diuitias & opes Dominus, sortemque beatam
 Contulerat, propera sustulit illa manu.
 Scilicet ipse suis placitis indulgit, & egit
 Quod visum est, animo collibuitque suo.
 Laudibus illius nomen celebretur, eique
 Humani resonet debitus oris honos.

EX EODEM, CAP. XXI.

Ducunt in bonis dies suos, &c.

IN lætis peragunt fugientis tempora vitæ,
 Momentoque breui tartara ad ima ruunt.

TOTA PVLCHRA ES

amica mea, &c.

INter formosas mea dulcis amica puellas
 Tota decora nites.
 Quæ Charitū superat decus, atque Heroidas omnes
 Semideumque genus.
 Grator Hyblæo facundia melle, diserto
 Cuius ab ore fluit. (pura,
 Balsama quod redolent, quod Staete, & Cinnama
 Quod Cilicumque croci,
 Quicquid mollis Arabs profert, & quicquid odori
 Barbara Memphis habet,
 Quicquid & extrēmis mittit niger Indus ab oris,
 Quicquid & Assyrius:
 Hoc vnguenta meæ redolent purissima nymphæ:
 Gratius illa tamen.

Sytho.